


40



DISSESSATIO IN AVGVRALIS MEDICO - CHIRVRGICA

DE
CANCRO MAMMARVM

QVAM
BONO CVM DEO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

ERNESTO AVGVSTO

DUCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQA
SVMMO TOTIVS CAESAREI EQVITATVS PRAEFECTO
LEGIONIS EQVESTRIS PARITER AC PEDESTRIS
TRIBVNO CAESAREO

PRAESENTE
SIMONE PAVLO HILSCHERO

MED. D. THEORETICES P. P. ORDINARIO SERENISS. DVCIS SAXONIS-
GOTHANI ET ALTBVRGENS. CONSIL. AVLICO
PATRONO PRAECEPTORE ET PROMOTORE SMMOPERE
VENERANDO

DIE MAII ANNI MDCCXLVI.

PRO GRADV DOCTORIS
LEGITIME OBTINENDO
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR
IO. CHRISTIANVS SCHAEDEL
VRATISLAVIA - SILESIUS.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.

CANCRO MAMMARIUM

ERINNESTO AEGASIO

SIMONI TAVIO HISTORICO

PRO GRADA DOCTORIS

PESTITINI - OBSCINISIMO

10. CHRISTIANUS SCHAEFER



I. N. I.

§. I.

Experientia docet, sexum sequiorem longe pluribus, quam nobiliorem, ratione sanitatis, calamitatibus esse obnoxium. Ex quam plurimis iplius partibus in medium proferre liceat solum mammas, sic facile asserti nostri patebit veritas. Quot enim mala, quot laesiones eas infestant? dum modo abundantia lactis obruantur, modo defectu eiusdem laborant, modo indurescant, inflammantur, exulcerantur, mox papillae finduntur, excoriantur, iam alios affectus sat molestos patiuntur. Nullas tamen morborum, mammas infestantium, crudelior et periculosis, immo curatu difficultior est, quam cancer earundem: truculentum enim et summe pertinax est malum, efficacissima saepius remedia eladens. Licet autem inanis videri posit opera, multa de eiusmodi affectu differere, vbi finis intentus, sanatio nimirum, obtineri nequeat. Interim tamen, cum et diagnosis accurata et prognosis vera Medico summe sit necessaria, saepe etiam praeservatio aut mitigatione molesti huius et truculentis mali locum habeat, non omni fructu laborem hunc destitutum fore confido, dum specimenis inauguralis loco Cancerum Mammarum perlustrandum mihi sumo. Quod ut

4 DISSERT. IN AVGVST. MEDICO - CHIRURGICA

vt ex voto cedat, sunimi Numinis auxilium clementissimum, et Benevoli Lectoris fauorem submisso exoro.

§. II.

Cancer, Graecis καρκίνος, καρκίνωμα, Germanis *der Krebs*; aliis *Lupus, der Wolff*, aliis tumor cancerosus, Phagedaena; nonnullis item, perhibente Dolao, Noli me tangere, dictus, eam forte ob causam, quia malum hoc truculentum saepiuscule tangendo exasperari solet. Cancer nomen ipsi a veteribus impositum fuisse, haec ratio, *GALENO* teste, esse videtur, quia similitudine quadam cancrum animal referat. Vti enim illud animal vtrimeque pedes porrigit, sic et venae atro sanguine turgentes et varicosae vndique ex carcinomate exeunt. Addit *AEGINETA Lib. IV. cap. 26. pag. 66.* quia carcinoma pertinacissime adhaereat partibus, quas occupat, vt cancer animal chelis suis prehensam praedam firmissime tenet. Accedit quoque coloris similitudo; itemque in eo ad Canceris indolem accedere videtur, quod carne delectetur. *CELSVS* sub Canceris nomine Gangraenam et Sphacelum descripsit, *Lib. V. Cap. 26. n. 31. pag. m. 320.* Carcinomatis autem vocabulo usus fuit, vt illam morbum designaret, quem hodie Medici et Chirurgi et Cancrum et Carcinoma promiscue vocare solent, *Lib. V. cap. 28. n. 2. pag. m. 338.*

§. III.

Cancer diuiditur in occultum siue non exulceratum, et apertum siue exulceratum.

§. IV.

Cancer mammarum occultus est tumor praeternaturalis in mamma, durus, minimus saepe ab initio, inaequalis, plus minus vehementer dolens ac vrens, vel profunde pungens et lacinians, in suppurationem veram de-

destinato quasi tempore non abiens, coloris obscure rubri, ad liuidum inclinantis, vt et interdum cineracei aut nigricantis, cuteque integra adhuc tectus, a stasi humorum acriorum et viscidorum proueniens, venae saepe atro sanguine turgidae et instar pedum cancri animalis supra et circa tumorem conspicuae adsunt. Hic tandem in vlcus degenerans malignum, labiis inuersis, tumidis, duris praeditum, partes in latum et profundum depascens, ichorem et saniem tetram, foetidissimam atque corrosiuam, loco puris laudabilis, stillans, copiosum etiam quandoque sanguinem plorans, Cancerum sifistit exulceratum, variis symptomatibus stipatum.

§. V.

Cancerum occultum esse tumorem, magnitudo illius partis, quam obsidet, aucta monstrat. Refertur ergo merito hoc respectu inter morbos malae conformatio-
nis ratione quantitatis, et quidem auctae.

§. VI.

Partes vt plurimum corporis nostri moliores, et quidem potissimum spongioso-glandulosas, inuadit, vt labia, oculos, nasum, linguam, penem, testes, clitoridem, inguina, vterum aliasque partes internas. Quandoque etiam, quamquam rarissime, loca omnino insolita cancerum infestare, obseruationes docent. Sic **HILDANVS** *Cent. I. Obseru. 69.* meminit de viro, qui natibus tumorem cancerosum, vehementibus et grauioribus symptomatibus stipatum, per multos annos perperitus est, et **TULPIVS** *Olsf. med. Lib. IV. cap. 38.* de calculoso refert, quod ille vrinam per anum reddiderit, nec non vesicacae cancro laborauerit. Saepissime tamen cancer mammas seminarum infestare solet, cuius asserti non solum testes esse possunt **AMATVS LVSITANVS**, **HILDANVS**, **SENNERTVS**, **SCHENCKIVS**, **SCVLTETVS**, **BARTHOLINVS** aliique, sed et experientia quotidiana

A 3

de

de huius rei veritate loquitur; immo ne virorum mammillas a truculento hoc malo immunes esse, HILDANVS testatur *Cent. I. Obs. 89.* Quare etiam praesentem hunc nostrum laborem cancero mammarum inuestigando destinauimus. Antequam vero vterius progrediamur, non abs re erit, quaedam de fabrica mammarum prius monere.

§. VII.

Mammae proprie feminis tribuuntur, et sunt corpora illa duo haemisphaerica (quae tamen figura pro diuersitate subiectorum et aetatum variat), in thoracis superficie, et quidem in anteriori eius parte, musculis pectoralibus superstructa, ita tamen, ut in quois late-re una mamma, ornatus et excitandae veneris, adhuc magis vero commodioris lactationis et aequilibrii causa, sit collocata. Praeter integumenta communia, quibus teguntur, cuticulam nempe, cutem teneram et pinguedinem copiosam, albantis spongioso-glandulosae sunt fabricae, habentes in medio prominentiam, papilla dictam, cuius substantiam Anatomici fungosam et cauernosam, fere ut penis, non exclusis fibris nerueis, agnoscunt, hinc intumescere solet in contrectatione et lactatione infantum. BIDLOV^s illam fasciculum tubulofsum vasorum, praesertim lactiferorum, in supra eius parte ostiolis suis numero VII. VIII. ad X. hiantium, nuncupat. Haec papilla in virginibus pallido, in grauidis et nutricibus obscuro, vetulis autem lurido circulo, areolae nomen gerente, circumdatur, in quo papillares quaedam protuberantiae cernuntur, ex quibus interdum humor quidam limpidus emanare solet.

§. VIII.

Regulariter duea numerantur mammae, sed adsunt exempla, quamvis rarissima, quae de pluribus, immo in locis maxime insolitis existentibus, testantur. Sic THOM. BARTHOL. in M. N. C. Dec. I. An. 2. Obs. 72. men-

mentionem facit cuiusdam mulierculae, cui tertia mamma in dorso conspicua sine papilla eminuit. MVRALTUS in M. N. C. Dec. II. An. I. Obs. 88. historiam lectu dignam de puella quadam recenset, quae ex matris grauidae phantastica impresione, cum nempe illa vber vaccinum in horreo quodam suspensum vidisset, vaccino pariter vbere cum tribus papillis ad inguen dextrum praedicta fuit, illud quoque per XXXIX. annos ferre fuit coacta, ubi postea monstrorum illud vber post illius mortem amputatum 73. libras ciuiles pependit. Plura exempla de tribus mammis adducunt IO. WALAEVS, OLAVS BORRICHIVS, GERH. BLASIVS et alii; quatuor vero in muliere quadam se vidisse affirmat CABROLIVS. Haec autem exempla, prout rariora, ita etiam pro naturae erroribus sunt habenda.

§. IX.

Dicatum est §. 7. mammas esse substantiae glandulosae secundum sententiam Anatomicorum tam veterum omnium, quam recentiorum plurimorum; Celeberrimus vero RVYSCHIVS eiusdemque asseclae illas pro mere vasculosis habent, ex vasis scilicet sanguiferis lactiferisque conflatas. Quoniam vero et glandulae nil sunt, nisi congeries et conglomeratio minutissimorum vasorum tam arteriosorum, quam venosorum, et ex his prouenientium vasorum lymphaticorum, et hoc loco potissimum lactiferorum, (h. e. vasorum aduehentium, reuehentium et excretoriorum), nec non neruorum, plerumque etiam ductu excretorio praeditae, tunica propria inuolutae, variae figurae, coloris et consistentiae, fluidum quoddam secerentes, non video, quid obstat mammas pronunciare glandulosas.

§. X.

Ex numero vasorum aduehentium sunt arteriae mammariae, quae diuiduntur in externas et internas,
quo-

quoniam aliae externam, aliae internam mammarum partem perudunt. Externae arteriis axillaribus ortum suum debent, easque mammarum nutritioni potissimum inferire nonnulli statuunt. Internae a subclaviis et intercostalibus prodeunt, et per totam mammarum substantiam disseminantur glandulasque dictas sua conglomeratione efficiunt, ex his parui tubuli emissi et per anastomosin ampliores redditi, vasa lactifera maiora, moram et collectionem lacti, ex arteriolis recepto, intermissis lactationis tempore, concedentia constituant, quae tandem rursus angustiora sunt, et orificiis suis in papilla terminantur, hoc tamen modo, ut inter tubulos lactiferos, arterias et venas sit communicatio, qua dissipatio lactis obtinetur.

§. XI.

Vasa mammarum venosa siue reuehentia itidem sunt vel externa, vel interna; quorum priora sanguinem a secretione lactis superstitem in venas axillares; posteriores vero in subclavia reuehent. Vasa lymphatica pariter inter reducentia numerantur vasa, nam lympham ex glandulis mammarum receptam in ductum thoracicum transportant. Ad vasa denique tam aduehentia, quam reuehentia nerui a pari quinto spinali siue dorsali et plexu circa claviculas prouenientes ac per omnem glandularum substantiam disseminati, sensationem efficientes lactisque secretionem promouentes, referendi veniunt. Vasorum horum et glandularum interstitia magna pinguedinis portio replet, eam forte ob causam, ut vasa copiofa et glandulas aliqua ex parte sustentet, mammae que venustas reddat.

§. XII.

Differt cancer mammarum primo sede sua, in mammis occupata, deinde a scirro, quod hic sit tumor, durus quidem, sed sine omni fere dolore; quando au-

autem talis tumor incipit pruritum excitare, dolere, liquidus et inaequalis fieri, nec minus cum augmento duritiae increscit, cancer occultus dicendus est. Porro gradu et tempore, vel enim per longum tempus, quandoque plures annos, occulti nomen meretur, vbi respectu cancri, ad exulcerationem tendentis, mitius affigit. Vbi autem cute perforata, vlcus foetidissimum partes late depascens, aspectu horrendum, malignum, vermisbus quandoque repletum, sifit, aperti cancri nomen assunit. Ratione coloris, alius obscure rubri magis, alius ex flavo-fusci, alius nigricantis, cineracei alius, adhuc alius mixti, deprehenditur. Ratione magnitudinis etiam et consensum cum aliis partibus intercedit diuersitas: cum alius partem tantum mammae occupet, alius non solum tumorem continuet in alteram mammam, sed et alias vicinas, immo disstas quandoque regiones simul in consensem trahat et viro suo adficiat. Observazione enim dignum est, quod nonnunquam insignis sit consensus inter mammarum affectum et idem latus, ita quidem ut e. g. dextra mamma affecta totum latus dextrum capitatis et brachii tumidum et infinitis glandulis conspicuum fuerit notatum a b. WEDELIO. *Vid. eiusd. Exerc. Semiotico-patholog. p. 192.* Alius est superficiarius; alius in longum, latum et profundum saeuit, glandulas subalares et colli, musculosque pectorales, immo latera et epigastrium virulentia sua inquinat. Interdum parti, quam oblidet, firmius adhaeret et plane immobilis est; interdum mobilis in extremitibus haeret, prout nempe vel superficiem inuadit, vel in profundo est positus magis, et periostio costarum radices suas firmiter infixit. Porro ab aliis affectibus facile distinguitur. A gangraena enim et sphacelo materiae corruptae et tardioris progressus discrepantia differt. A reliquis tumoribus doloris in-dole, colore et duritiae differt occultus; ab aliis vlceribus malignitate, subiecti et causarum diuersitate vero

B

di-

IO DISSERT. IN AVGVR. MEDICO - CHIRVRGICA

discrepat exulceratus. Aliquando symptomata ipsi iunguntur leniora, et pauciora, quandoque magna saeuiorum pathematum turba ipsum comitatur.

§. XIII.

Porro hoc loco notari meretur, quod distinguendum sit in praxi inter exulcerationes mammarum inueteras mali moris, et cancroſi quidpiam minantes, et inter cancrum verum, antiquum et profunde serpentem: hic enim vix vlla arte coercetur, si ſemel profundas egerit radices, quod ipſi proprium et effentiale eſt; illae vero facilius curantur. *Vid. Cl. IVNKERI Tab. chirurg. ſo. p. m. 318.*

§. XIV.

Cancri mammarium diagnostin quod attinet, cognitu eſt facilis. In principio feirhus eſt quandoque paruae admodum magnitudinis, per multos ſaepē annos in hoc ſtatu perſiſtens, donec a cauſa vel interna, vel extera irritatus incrementum capiat, et primo in cancrum occultum verum degeneret. Vbi tumore aucto, vasis circa eundem turgidis et inflammatiſ, calore, dolore profunde pungente, lancinante, vrente, morſicante, quaſi a muribus fieret, nocturno tempore ingraueſcente, feirrhūm in cancrum occultum mutatum eſſe, cognoscimus.

§. XV.

Exulceratus ſive apertus, cum ſaepiſſime occultum sequatur, eo facilius dignoscitur ex ulceris foeditate, quod labiis eiusdem tumidis, inuersis atque exēſis, ſaniem, ichorem, nonnunquam vasis ſanguiferis eroſis, ſanguinem plorantibus, materiam foediſſimam ac foetiſſimam diuerſi coloris et conſiſtentiae, immo interdum vermes copioſiſimos, eructat. Et hic inprimis quam pluriſiſt stipatur symptomatiſbus, eum magis maniſtantibus.

bus. Dolores nempe adsunt vehementissimi, omnem
saepē somnum auferentes, capitis dolor modo maior,
modo minor, pro diuersitate gradus acrimoniae sanguinis
et lymphae. Accedit febris lenta, a miscela materiae
acris, resolutionem praestantis, cum sanguine, orta.
Superueniunt lipothymiae, dysorexia, virium imminu-
tio, pallor faciei et labiorum cadaverosus, oculi tumi-
di; pulsus fit debilis ac frequens.

§. XVI.

Cancerum mammarum occultum esse tumorem, diximus (§. 4.). Tumor autem fieri nequit, nisi pars nostri
corporis magnitudine augeatur. Haec vero partis ma-
gnitudo aucta praeluponit fluidum in vasis vel cavitati-
bus praeternaturaliter collectum et stagnans. Ut ergo
in tumore stasis adsit, necesse est.

§. XVII.

Huius autem staseos subiectum principale consti-
tuunt vas minora sanguifera ac tubuli lactiferi cum lym-
phaticis, in glandulosa mammarum substantia existen-
tes.

§. XVIII.

Causa ergo cancri immediata est stasis humorum,
nempe lymphae, ac sanguinis, aliquando etiam simul la-
ctis, summe ac specifice corruptorum in vasculis tubu-
lisque substantiae mammarum glandulosae.

§. XIX.

Causa vero mediata proximior sunt humores ad di-
stam stasin dispositi, acido-viscidi, et in mamma haef-
rentes, sed nondum isto acrimoniae gradu adfe-
sti, vt pariant cancerum, sed solummodo scirrum,

B 2

Ori-

12 DISSERT. IN AVGVR. MEDICO - CHIRVRGICA.

Oritur autem haec stasis et obstructio, si humores ante dicti vitiosi, in vascula et tubulos penetrantes quidem, sed partes serofas tenuiores, coagulationem alias impeditentes, per vasa reuehentia magnam partem dimittunt, quo magis magisque inspissantur et coagulantur, sicque scirrhosam suppeditant materiam, atque scirrum ipsum sive principium subsecuturi cancri gignunt.

§. XX.

Hi humores (§. 20.) per diurniorem moram ac stasin acriores redditii, accedente insuper causa vel externa vel interna, tubulos, in quibus haerent, stimulant et ad spasmodicam contractionem irritant, vnde dolores pungentes, et ab acrimonia maiori lancinantes, vrentes ac mortificantes oriuntur. His doloribus adfluxus humorum concitatur maior, hinc tumor augetur, auctus vasa sanguifera vicina comprimit, obstruit, et nouam stasin parit, quam inflammatio sequitur maior. Per motum tandem intestinum auctum serofae partes disipantur, Θia euadunt concentratoria et acriora; hoc itaque modo scirrus induit malignitatem et degenerat in cancerum occultum verum.

§. XXI.

Hic dein tanto citius transit in exulceratum, leuida occasione externa vel a medico, vel aegroto. Duplex autem in cancro exulcerato a Practicis statuitur principium, unum nempe corrosiuum, alterum putrefactiuum. Prius prouenit a lympha vel lacte stagnante et corruptionem falso-vel acido-corrosiuam subeunte. Posterius vero oritur a sanguinis stagnantis Φe, per motum eius intestinum auctum, liberato ac corrupto, sanguinemque reliquum inquinante.

§. XXII.

§. XXII.

Haec duo contraria principia sibi met ipsis obicem ponunt, ne adeo celeriter corruptio, ut in sphacelo contingit, proserpat, et praefertim putredinosa corruptela a Θ ibus falsis vel acidis concentratis inhibetur quodammodo, etiam si non negandum, quod inde acerria plane ac falso - vel acido - caustica enascatur virulentia, quae adeo corrosiva est indolis, ut non solum solutionem continui tubolorum minimorum et vasorum sanguiferorum praefestet, vnde profusio sanguinis quandoque satis larga contingit, sed et cutem atque cuticulam partesque circumiacentes corrodat, quae saniem copiosam foeditissimam varii coloris, intolerabilis plane ac cadaverosi foetoris, linteaminaque superimposita corrodentem, fundunt. *Conf. circa banc et §. antecedentem Cl. IVNCKERI Tabular. Chirurg. L. de Cancro et ulceribus Cancroideis p. m. 321. sqq.*

§. XXIII.

Causae mediatae remotores, quae ad humores hos viscidiores et acriores producendos ac fouendos concurrunt, in triplici classe, naturalium nempe, non naturalium et praeternaturalium causarum, sunt constitutaæ.

§. XXIV.

Ex naturalibus primo loco accusanda venit aetas. Nulli quidem truculentum hoc malum parcit aetati, maxime tamen ab eodem prouectior ac consistens inuiditur; quoniam in minori aetate sanguis magis adhuc ballamicus et fero blando dotatus est; in maiori vero sanguis et inde secreta lympha iam magis magisque acrimoniam et visciditatem subeunt.

§. XXV.

Temperamentum melancholico - phlegmaticum et
B 3 atra-

14 DISSERTATION AVGVVR. MEDICO - CHIRVRGICA.

atrabilarium potissimum hoc loco accusandum venit. Prius enim naturaliter particulis terrestribus, acidis ac pituitosis vel serosis viscidis abundat, hinc ad statum hunc morbosum producendum, augendum et fouendum facile fit aptum. Posterius vero, cum particulis biliosis, quibus acidae maiori in quantitate sunt iunctae et fermentatae, sero autem blando deficiente, scateat, ut stasin et subsequentem irritationem atque erosionem facile producere et promouere valeat, sequitur.

§. XXVI.

Habitus corporis macilentus, cum ad caloris et siccitatis augmentum sit dispositus, hoc vero corpori acrimoniam, dissipando serum blandum, inducat, facile patet hunc corporis habitum prae reliquis ad generandum et fouendum cancrum, symbolum suum conferre.

§. XXVII.

Sexus quidem vterque ab hoc cruciatur malo, vti experientia docet; sequiorem vero longe frequentius prae nobiliori hanc luem pati, nemo est, qui inficiabitur. Cum enim seminarum mammae ad lactis secretionem sint destinatae, hinc copiosis glandulis repletæ, vasis lactiferis tubulisque angustissimis, obstrui facile patientibus, instructæ, in promptu est ratio, cur mammae feminorum prae virorum mammillis huic malo magis sint expositæ; accedit, quod mammae mulierum fluidum fecerant, ad stasin et acescentiam maxime pronum. Item quod illarum purgatio menstrua saepe labefactetur, praesertim si per aetatem disparate, quæ saepius causam occasionalem constitueret, teste experientia, solet.

§. XXVIII.

Dispositio haereditaria, quatenus, respectu nostri affectus, consistit in viscida et acri humorum qualitate: haec

hae autem qualitates, quippe difficile alterabiles, in corpus foetus per natuitatem translatae, facile ad hunc morbum illud disponere poterunt.

§. XXIX.

Post hucusque recensitas causas προγνωσίας seu antecedentes, et praeuiam quandam dispositionem in corpore innuentes, commemorandae veniunt προπαταζόντιαι seu occasioales, quae dispositionem praesentem in corpore in actum deducunt, et suo modo etiam absentem inferunt, habentque suum fundamentum in rebus non naturalibus dictis. Ex his considerabimus primum aërem, visuri, an et quomodo hic aliquid ad cancrum generandum conferre possit ac soleat. Accusandus primo venit loco valde frigidus, ad mammas, praesertim lacte turgidas, admissus: ita enim stringendo vascula et tubulos, humores ad σάστη dederit et facile scirrum parit, si non debita adhibeatur eura; scirrus vero deinceps multis ex causis abit in cancrum: quod ut fiat, etiam aër valde calidus quidpiam conferre potest, praesertim si in eodem motus corporis nimius et saltationes instituantur. Nimia enim humorum exagitatione salia, partibus viscidis in scirro obvoluta, facile liberantur, sui iuris flunt, et partibus solidis, easdem irritando ac rodendo, dolorem et solutam uitatem inferunt. Si vero iudicium ferendum a nobis sit: an aër frigidus, vel frigido-humidus et crassus magis conferat ad gignendum cancrum in mammis feminarum, quam calidus? respondeamus, quod magis ille, quam hic, teste experientia. Etenim in Italia feminæ longe rarius laborant mammorum cancro, quam in Belgio, sicut inter alia hoc aestimari potest ex IO. VAN HORNE μυροτέχνῃ, cum notis Pauli edita, p. 440. vbi agit de amputatione mammae cancerofae.

§. XXXI.

§. XXX.

Cibus et potus multum quoque ad malum hoc contribuant. Sic cibi crassi, duri, viscidi, non rite masticati, falsi, acidi, chylum vitiosum reddunt; qualis vero chylus, talis etiam sanguis, qualis sanguis, tales etiam ex hoc secreti humores. Ex hac ciborum classe speciatim sunt carnes et pisces fumo indurati et muriatici; itemque cibi aromatibus plus iusto conditi, leguminosi, non fermentati, immo etiam alias salutares maiori, quam par erat, copia ingurgitati, quia menstruis sufficienter diluit et resolui nequeunt, hinc cruditates generant et Mae Seae communicant, adeoque ad stagnationem et acrimoniam subeundam disponunt. Potus Ispirituosi vlys nimius, dissipando spiritus et serum fluxile, reliquum viscidius relinquit, acidi vero, humores inspissando et coagulando, particulasque actiuiores figendo, ad procurandam stasim multum facit. Potus in defectu peccans, quatenus serum per excretiones amissum, non sufficienter restituit et Mam Seam non diluit satis, dicta in antecedentibus quoque praestabat.

§. XXXI.

Motus et quies in excessu peccantes huc etiam conferunt. Nam motus nimius, dissipando magis, quam par est, spiritus et serum blandum fluxile, humores reliquos reddit spissiores, siccitatem et acrimoniam toti contrahit corpori, ipsuanque insuper debilitat, ut postea actioni humorum minus decenter resistere valeat, quibus omnibus obstructioni et stasi fores panduntur. Maiori gradu hoc praefat motus nimius, statim post pastum institutus: hic enim chylicationi et per consequens etiam sanguificationi, praecipitando chylum crudum in vas a lattea et hinc in sanguinem, quam maxime noget, nostro que malo producendo fauet. Sic quies nimia circulum san-

sanguinis et ab hoc dependentes se- et excretiones sanguiniores reddit, motum ventriculi et intestinorum peristalticum labefactat, per consequens chylificationi aduersatur, ex quibus facile concludendum erit, quo modo quies excedens noceat et saeuo huic affectui velificetur. Haec omnia pari ratione de somno et vigiliis, in excessu admisisis, dictum volumus.

§. XXXIII.

In hunc quoque censum animi pathemata veniunt. Ita enim ira, terror, moeror, tristitia, curae grauiores et diuturniores, nocent, primo dissipando spiritus et serum blandum, humores dein relictos acriores concentrando ac insipiendo, hinc omnes se- et excretiones imminuendo, cancro generando patrocinantur.

§. XXXIV.

Excreta denique ac retenta quam maxime etiam hue faciunt. Haemorrhagiae nimiae, sanguinisque per V. S. nimis larga atque reiterata profusio, vitae ac sanitatis pabulum auferendo, actionem sanguinis in vasa, et horum reactionem in sanguinem impediendo circulum eiusdem labefactant, hinc ad stases nostrumque affectum vias sternunt. Sudationes nimis frequentes, saliuæ expunctiones per consuetudinem nimiae, feri, humidum laudabile et temperiem sanguini conciliantis, per purgantia draistica ac repetita profusio excedens, acrimoniam ac spissescientiam humoribus inducunt. Contra transpiratio non rite succedens quid noxarum post se trahat, in antecedentibus dictum est. Suppresio catameniorum vel eorundem cessatio per aetatem, ob coaceruationem sanguinis, circulus eiusdem non potest esse liber et ae-

C

qua-

qualis, hinc se- et excretiones imminuuntur, M. S. tota successiue euadit acris atque viscida, et ad stasin hinc inde concipiendam et facile in mammis quoque: ideo frequenter in feminis post mensium cessationem per aetatem cancer vel oriri, vel occultus in apertum abire solet. Lac denique in mammis secretum, si vel actu, vti fecernitur, particulis terreis, acidis, sulphureis, copiosis, iam est refertum, vel demum per diurniorem in mammis moram acrimoniam acidam concepit et in coagulum abiit, vtroque modo tubulos lactiferos obstruit, hinc stasin efficit, et saepius potior cancri euadit causa.

§. XXXIV.

Ex causis tandem praeternaturalibus omnes morbi, acrimoniam viscido immersam generantes et relinquentes hic accusandi veniunt. Febres itaque chronicae, intermittentes, et praesertim quartana rebellior; fluoris albi, lochiorum, mensium et haemorrhoidum suppressio, malum hypochondriacum, scorbutus, lues venerea, exulcerationes et inflammations mammarum neglectae vel male tractatae, puncturae, contusiones, contrectationes vehementes, compressionesque mammarum fortiores vestibus, ex ossibus balaenae confectis, factae etc. ad scirrum cancrumque subsequentem producendum occasionem praebent.

§. XXXV.

Prognosin caneri quod attinet, sciendum venit, occultum paruum, et parum adhuc dolorificum, bona obseruata diaeta et cacoehymia per conuenientia medicamenta sensim correcta, nec per incongruam medicacionem

nem irritatum, diu citra magnum incommodum in statu quo conseruari posse. Cancer vero occultus grauior et exulceratus, M.S. nondum grauiter infecta, perita chirurgi manu excisci et curari debet, testantibus id optimis practicis. Melior etiam sperandus est euentus, si a causa externa ortus fuerit cancer, quam si ab acrimonia interna natales suos traxerit. Quodsi vero M.S. iam notabiliter infecta ac corrupta, febrisque hec-
tica, pulsus frequens, ac pallor oris cadauerolus adsint, ipseque cancer ad glandulas subalares iam potentus sit, sectio non est fuscipienda: nam tales aegrotae ci-
tius moriuntur, quamvis et exempla profent, vbi glan-
dulae subalares simul fuerunt extirpatae, et aegrotae ni-
hilominus sunt conseruatae.

§. XXXVI.

Therapeutica Cancri tribus potissimum absoluitur indicationibus: aut enim radicalem eiusdem extirpatio-
nenem, aut prouidam ab ulteriore ineremento vel immi-
nente exulceratione, praeseruationem, aut dein blan-
dam mali, iam ad ipsam exulcerationem perduci, mi-
tigationem, postulat.

§. XXXVII.

Prima indicatio commodissime et fere vnice obti-
netur per scalpellum, quo perita chirurgi manu totus
cancer radicaliter excinditur.

Secunda tria potissimum requirit: vniuersalis nem-
pe dyscrasiae humorum correctionem, copiosioris ad
partem adfessam affluxus auersionem, sollicitam dein
emollientium ac irritantium fugam. Obtinemus haec
per mitiora laxantia, blanda diaphoretico-diuretica sive
C 2 sanguinaria.

sanguinem purificantia, circumspectam fluxus menstrui, si eiusdem adsit obstructio, promotionem, tempestiuas V.S. topicorum leniter repellentium et discutientium vsum, diaetamque exactam.

Tertia denique indicatio, mitigatio nempe caneri exulcerati itidem tria postulat: dolorum atrocium leuamen, foetoris et hypersarcoseos cohibitionem, haemorrhagiae tandem, si quae vrgeat, restrictionem.

§. XXXVIII.

Exirpatio canceri cordatum sane et circumspectum simul requirit virum: nam non negandum, hanc operationem satis esse horrendam et quasi crudelem; nihilominus tamen, quia vix ac ne vix aliis remediis, cancro mederi licet, ad hoc extremuu confugiendum et intrepide peragendum nobis incumbit: extremo enim ac crudeli malo extrema quoque et crudelia opposienda sunt remedia. Quod ipsam operationem, qua ratione instituenda et vulnus inflictum consolidandum, attinet, hoc sub finem Dissertationis nostrae proponemus, nunc vero nos ad reliquas indicationes obtinendas conuertimus.

§. XXXIX.

Vniuersalis dyscrasiae humorum correctio, tanquam primum indicationis secundae requisitum obtinetur primo per blanda purgantia, ad primas vias ab humoribus vitiosis liberandas, ex quibus maxime extolluntur helleborata, datur autem helleb. nig. commodissime vel in forma extracti cum ♀io dulci et resina jallapae in pilulas redactus, vel in infuso aut decocto, additis rhab. fol. fenn. S. S. rad. polypod. cich. etc. His

His pro re nata et alia purgantia substitui possunt, vt agaricus, mechoacann. alba, MP. ♂ear. Quercet. Bonpii, Extr. panchymag. Croll. nec non ♂gialap. cum cr. ♀ri. Praefat vero laudata purgantia doli minori ac media exhibere, ne serum nimis e corpore educatur et vires valde debilitentur.

§. XL.

Dyscrasia humorum acido-viscida et acris corrigitur etiam per absorbentia, lenia per sudorem et vrinam euacuantia, v.g. lap. 69. conch. ppt. corall. ppt. succin. ppt. crystall. mont. ppt. mandibul. luc. pisic. ppt. lap. percar. ppt. C. C. philos. et vft. ppt. ♂ diaph. eiusque cerussam, ♂es bez. et absorb. variaque alia huius commatis composita. Huic scopo velificantur quoque ♂lia, ♂ina, et Θia aecal. ex hbis amaricantibus parata, vt Θ cent. min. absinth. fumar. trifol. fib. C. B. item media, nempe ♂ Θlat. arcan. dupl. triplicat. Θ depurat. △ fol. ♂i, arcan. ♂i etc. His commode subiungi possunt eff. et Rae variae, diaphoresin atque diuresin promouentes, e. g. Eff. LL. L. lassaf. fumar. succin. pimpinell. alb. scord. C. B. trifol. fib. R ♂ii aeris et ♂fata, R ♂i, eff. viperar. Ital. eff. alexipharm. R bez. cum traumaticis e. gr. eff. fl. hyperic. agrimon. et lignor. mixtae. His aliquando prudenter iungi possunt Rae ♂tial. vt sunt R ♂tis cydon. pomat. helleborat. nec non ♂dulae ♂les, quae omnia egregie ♂dum peccans absorbent et partes roborant, hinc euadunt aperientia aptissima. Extracta quoque amara antilcorbutica optimo cum fructu adhibentur vel in forma pilulari, vel elixirii, soluta nempe in vis conuenientibus et cocheleatim sumta.

C 3

§. XLI.

§. XL.

Ad acrimoniam porro corrigendam et eliminandam magni sane sunt usus decocta leniter diaphoretica et demulcentia, quae acrimoniam egregie obtundunt et euacuant. Talia parari possunt ex rad. scorz. cich. chin. farfaeparill. polypod. glycyrrh. L sassafr. juniperi, guajac. filiq. dulc. ficubus, paſtūl. min. ſem. anis. foeniculi etc. Itemque iuſſula pugillaria calida ex praedictis radicibus vel ſimilibus, additis hbis et floribus antifeorbut, opem non denegabunt, vt ſunt hb. veron. chaereſol. heder. terrefr. trisol. fib. naſturt. aquat. et horſens. fumar. tuſilag. ſcord. ſcابios. fl. bellid. bugloſſ. borrag. ſcابios. violar. tunicar. et alii.

§. XLII.

Secundum huius indicationis requiritum, adfluxus nempe versus partem adfectam auerſio, abſoluitur reſeratione viſcerum obſtructorum et reſtitutione fluxuum ſupprefforum, mensium nempe, haemorrhoidum, lochiorum, fluoris albi, vel vlecerum inueteratorum et multum manantium in certa quadam parte, praepoſtere abſque ſufficiente humorum correſtione glutinatorium. Et haec obtainentur partim per anteа recenſita medicamenta, partim per cuiam adfectui ſpeciatim propria. De ſpecificis vero notandum duco, admodum circumſpecte cum iis hic mercandum eſſe, ne exagitando ſanguinem plus noceamus et malum peius reddamus, ſed lenioribus tantum rem aggredi fas eſt. Si autem fluxus praedicti nullo modo reſtituendi eſſent, eorum loco artificiales ſubſtituendi veniunt, V. S. nempe, et ſcarificationes ſubinde repetitae. Praefertim in vleceribus prae-

praepostere exsiccatis fonticuli et setacea, per sat longum tempus, donec M. S. probe sit correcta, gestata, opem ferunt, interpositis in omni casu laxantibus et reliquis medicamentis conuenientibus, bonaque obseruata diaeta.

§. XLIII.

Emollientium dein ac irritantium, summe hoc in casu noxiorum, sollicitam fugam ac auersationem quod concernit, monendum est, illa adfluxum, hic noxium, concitare et cancrum exulceratum mirum quantum promouere atque peiorem reddere, ergo magis cane et angue vitanda ac fugienda sunt. Contrario autem modo se habent topica leniter repellentia et discutientia, vt sunt: Succus cicutae, solani, semperuui, geranii Robertiani vel ∇ ex similibus per alembicum plumbeum destillata, aut saccharum hni , in praedictis sucis, vel ∇ solan. per multiplicem cohobationem parata, solutum et linteis complicatis applicatum. Generatim omnia Saturnina huic scopo fauent. Sic empl. vnguentata et linimenta, quae ingreduntur minium, amalg. hni et Sacch. hni , nec non, quae in mortario plumbeo per longum tempus trita, optime se gerunt, e. g. ss ros. in tali mortario, donec nigrescat, agitatum ac cum cerussa et lithargyrio remixtum, vel vngu. ex xti lithargyrifati zil , ss ros. vel solan. zj . in mortario plumbeo vel vitro ope agitationis cum pistillo ligneo factum, vel z amalg. zii et hni zj . vngu. rosat. q. s. F. Vngu. cum linteo instar emplastri applicandum. Item sequens mixtura non ope carebit: z ∇ sperm. ranar. Solan. aa zij . plumb. vt. zj . Sacch. hni zil . M. et applicetur cum linteaminibus complicatis. Ex emplastris se com-

men-

mendant empl. Hn inum Mynsichti, diapomphol. reformat. WEDEL. de ran. Vigon. c. Qio , miraculos. siue sapo-
nat. Barbette. His addi possunt egregia illa emplastra ad
dolores leniendos accommodata, et a Celebi. HEISTERO
in Instit. Chirurg. Latinis Part. I. pag. 340. descripta; quo-
rum compositiones ita se habent: & Succ. recent. express.
et puri sol. hyosciam. papau. hortens. phellandr. aa Ziv .
coquendo leni Δe infissa, sub finem adde Cer. alb.
 Zvij . ol. infus. ros. Zj . F. l. a. Empl. y Sacch. Hni , ceruss.
amalg. Qii et Hni , ol. express. hyoleciam. ol. infus. ros.
 aa Zj . Cer. alb. Ziv . F. l. a. Empl. Quibus si vehemen-
tissimi adfunt dolores, opii non nihil addi poterit et
super male adfectam partem imponi. Sola tandem la-
mina plumbea Qio viuo probe fricata et mammae super-
imposita, saepe bonos edidit effectus.

§. XLIV.

Tertiae denique indicationis postulatum primum,
leuamen nempe dolorum atrociorum, obtinetur primo
per interna, superius laudata, laxantia, absorbentia,
diluentia et acrimoniam obtundentia, interpositis pro-
re nata anodynisi, refracta quidem, sed repetita dosi, cum
quibus etiam variatio est necessaria, nam natura facile
iis assuefecit, quo minus tunc operationem suam exer-
ceant. Secundo per externa lenientia, quae partim ex
 Qo praecedente peti possunt, partim per lequentia: Sic
 ∇ calc. viu. vel sola, vel cum ess. opii, cum aqua loco.
 ∇ parata, remixa et cum linteis carptis vlecri imposi-
ta; item in doloribus grauioribus ess. opii sola, praedi-
cto modo applicata, prodest; vel y ∇ ros. fl. famb.
papau. errat. aa Zj . Sacch. Hni , ess. opii aa Zj . ∇ vin.
theriacal. Zj . M. applicetur ut antea, et insuper impo-
ni potest iplenum crassum ∇ Ψ viv. et ∇ camphorat.
crocato madefactum.

§. XLV.

§. XLV.

Secundum huius indicationis postulatum consistit in foetoris et hypersarcoseos cohibitione. Haec obtinentur, vel intenduntur saltim, primo frequenti sanie tristiaue et foetidae absterfione, et viceris linteaminibus carptis vel aridis, vel aptis remedii inunctis, impletione. Inter haec sunt optima ess. myrrh. vel liquamen eius in ovo duro confectum, nec non ess. succin. sine alcali parata, quibus ol. terebinth. admiscere conuenit, quae etiam ad consolidationem sunt maxime egregia. Hypersarcosin impediunt ∇ calc. viv. cum tantillo ξ ii sublimati, It. sequens puluis: & $\ddot{\sigma}$ rad. ari, consolid. mai. aristoloch. rotund. $\alpha\alpha$ $\ddot{\sigma}$ j. ξ ii dulc. nihil. alb. sacchar. $\ddot{\sigma}$ ni $\alpha\alpha$ β . M. seruetur ad vsum. Bufones quoque excicati et cum $\ddot{\sigma}$ erad. ari mixti open praestabunt, vel huius loco & rad. ari $\ddot{\sigma}$ iij. fl. $\ddot{\sigma}$ is, lap. calamin. crystall. montan. ppt. $\ddot{\sigma}$ angv. dracon. myrrh. finiss. laet. $\ddot{\sigma}$ ae $\alpha\alpha$ $\ddot{\sigma}$ j. camph. β . M. F. $\ddot{\sigma}$ subtiliss. Cui interpolari potest balsamum ex $\ddot{\sigma}$ $\ddot{\sigma}$ $\ddot{\sigma}$ i. C.C. foetid. et Bals. Peruiano, si foetor et putrilago id indicent magis. Conf. B. et Illust. WEDELIVS in *Dissert. de Aro p. 34. sqq.*

§. XLVI.

Haemorrhagiam denique, si quae forte contingere, securissime ac promptissime compescit $\ddot{\sigma}$ edificatissimus, qui optimo iure positivue adstringentibus est praeferendus, nam in recessu resolut ac roborat. Sed si ille praeter opinionem parum esset, pulv. stypt. rub. $\ddot{\sigma}$ ED. cum eo est irrorandus et apte applicandus; vel horum loco solutio aluminis in ∇ plantag. vel centinod. substitui poterit.

§. XLVII.

Progredimur nunc ad operationem vel extirpationem cancri ipsam. Antequam vero vltro pergamus, quae-dam prius, extirpationem antecedentia et a chirurgo probe obseruanda, monenda veniunt. Ante omnia itaque chirurgus sedulo inquirat, quomodo cancer sit situs, an nimis profundas egerit radices et firmiter partibus

D

sub-

substratis adhaereat, vel an vicinas iam partes suo viro infecerit et in consensum traxerit, glandulas nempe subalares, musculos pectorales, costarum periostium, vel ipsos musculos intercostales; Si haec chirurgus, quod ita sint, inuenit, praesertim duas ultimas circumstantias, prorius ab operatione abstineat, ablata enim his in casibus mamma, malum breui post recrudescat; prioribus autem in casibus spes aliqua adhuc curationis supereat, testantibus id observationibus Practicorum. Porro si aegra iam nimis est languida, valde scorbutica, febris adeat hecifica, scirrhī in aliis corporis partibus hinc inde se ostendunt, senilem agit aetatem, res quoque conclamata pronunciatur. Contra, quando cancer ad sectionem aptus deprehenditur, i. e. quando praedictae circumstantiae et symptomata absunt, spes bonae curae habetur. Praeparato ergo probe prius corpore medicamentis conuentientibus, exactaque victus ratione habita, operatio tuto et intrepide fuscipienda est, quae sequenti peragitur modo.

§. XLVIII.

Collocetur patiens super sella altiori eiusque brachium lateris infirmi probe retrorsum et deorsum extendatur, et in tali statu vel ab adstantibus, vel ope ligaturae conseruetur, ut hoc modo musculus pectoralis extensus non laedatur, ipsaque mammae pars corrupta melius ab eodem separari queat. Et si non nimis magnus atque mobilis adhuc cancer est, partemque mammae tantum occupat, integris adhuc et nondum infectis integumentis, tunc incidatur supra illum cutis cum pinguedine vel vna linea, vel pro re nata duabus in crucem factis, et separatis per scalpellum integumentis, cancer vndeque enucleatus eximitur, quod ut eo melius fiat, vel per transmissum ope acus maioris filum crassum, vel per hamulum, vel solum manu corrupta et ex parte iam separata pars attollatur et ab integris partibus ope scalelli in totum denudetur et eliciatur, vulnusque dein lege

lege artis consolidetur. Vbi vero ipsa cutis simul corrupta, aut cum cancro firmiter iuncta deprehenditur, illa cum hoc radicitus excindatur.

§. XLIX.

Quodsi autem cancer totam occupauerit mammam, tota etiam extirpanda est. Ad hoc vero commode peragendum, Practici varias excogitauerunt methodos, quas hic omnes tradere, nimis esset prolixum et a scopo nostro alienum.

Nos tantum in praesentiarum methodum visitatissimam et simplicissimam eligimus. Collocata nempe, vti iam diximus, aegrota in sella altiori, et brachio extenso, apprehendat chirurgus altera manu mammam, et a musculis pectoralibus, quantum fieri potest, detrahatur; altera vero manu ope scalpelli grandioris et probe acuti a superiori versus inferiorem partem, vel vice versa, ne fluxus sanguinis chirurgum in operatione turbet, illam radicitus et celeriter, quantum est possibile, amputet, et si forte quid corrupti adhuc obseruatur, hoc etiam excindat.

§. L.

Quidam mammam acu latori et longiori, paululum incurvata, filo crasso instructa, transfodiunt, et fili partibus extremis coniunctis, per id, velut ansam aliquam, mammam abducunt, amputationemque eodem modo, vti § 50 praecedente diximus, peragunt. Si forte vnum filum, ob magnitudinem mammae, parum esset, alterum decussatim trahitur, vt eo melius mamma abduci queat. Prior vero modus (§. 51.) nobis magis aridet, quia minoribus perficitur doloribus; et si forte una chirurgi manus, ob molem mammae, non sufficeret, minister eam ambabus manibus arripere et abducere potest,

§. LI.

Amputatione facta, si vires aegrotae id concedunt, aliquot vncias sanguinis emittere conuenit, qua ratione

D 2

in-

inflammatio, febris et noua sanguinis profusio praecauentur. Quodsi vero haemorrhagia nimia contingeret, optime eam sistet liquor stypticus Dippelii vel Weddii, aut solus, aut cum ēe styptico remixtus et cum linteaminibus carpis bene multis adPLICatus, superimpositis aliquot spleniis crasfis, sensim amplioribus et fascia satis longa simul adhibita. Ante tertium diem prima deligatio non est soluenda, nihilque nec tum vi auellendum, sed exspectandum, donec sponte decidat. Caeterum quo rarius et cautius deligatio renouatur, eo melius succedit consolidatio. At, si forte suppuratione nimis larga contingeret, frequentius deligandum vulnus venit. Ne etiam aeger ab hac debilitetur, digestiua illico remouenda sunt, et horum loco linta carpta vel sicca, vel ess. myrrh. aut succin. vel prioris liquamine, in ouo duro parato, parce impraegnata imponantur.

§. LII.

Diaeta tandem, tam tempore curationis, quam post illam, sit exacta. Aēr sit temperate calidus. Cibi sint molles et facile resolubiles, omni acrimonia carentes. In primis tempore curationis, ad vires amissas restaurandas, conueniunt iuscula carnium, gelatinæ, ova mollia, carnes animalium iuniorum et alia huius notae alimenta; emulsiones quoque confortantes et gratae aegris sunt commendandæ. Potus sit purus, spirituosis nimis vel acidus vitetur. Motus instituatur moderatus; quies non excedat modum. Somnus et vigiliae pari ratione se habeant.

Egesta respondeant ingestis. Haemorrhoides vel menses suppressi aut inordinati restituantur, vel in ordinem redigantur. Fugiantur animi pathemata grauiorae vehementiora, ira, terror, moeror, metus, curae grauiores et diuturniores; contra mens sit tranquilla et rebus gratis occupata.

Soli Deo Gloria.



PRAECLARISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO
DOCTORANDO
FAVTORI ADMODVM COLENDO
S. D. P.
IO. CHRISTOPH. TANNENBERGER, M.D.

VIT in reliquis vitae partibus, sic in studiis et
in ratione viuendi, plerumque contingit,
vt homines varias quidem disciplinas dili-
genter cognitas ac pertractatas habeant, et quotidie
magistrorum suorum dictata cantent; pauci tamen ad
ineundam aut ad persequendam pulcherrimam et fru-
ctuosissimam viam statum corporis sui cognoscendi
animum adiplicant. Fieri hac ex re prorsus non potest,
vt istiusmodi homines recte viuant, corpus conseruent
integrum, aut a sanitate secedens iterum in pristinum
restituant statum, quando ab intemperantia, quae me-
diorum est nutrix, labefactatum offenditur. TV ve-
ro talem artem p[re]al[ic] satis dignam duxisti, in qua
tempus contereres academicum, et in hac non quid-
quam est, quod non expugnati pertinaci opera, viti
ac intenta atque diligent[er]i cura. Ad academiam partim
doctorum hominum consiliis et instructione, partim
v[er]su fruitus es, horum exemplis TIBI parati erudi-

D 3

tio-

tionem vberrimam, et acri ingenio recta sectatus es.
 Optimo iam iure TIBI redduntur praemia laborum,
 et facultas aliis tribuendi per indefessam industriam ac-
 quisita et per prudentiam electa medicamina. Quare
 gaude TVO isto tam excellenti bono, et fruere hoc
 cum fortuna ac gloria, vt morbis laborantibus maximus
 fructus, nouo autem Doctori, rationali ac sapien-
 ti, summa fortuna ac iucunditas abinde eueniant.
 Gratulor TIBI, laetorve cum praesenti tum etiam spe-
 rata TVA dignitate, nec mihi erit iucundius quid-
 quam nec carius, quam percipere, TIBI in posterum
 quoque plura ornamenta, virtuti et industriae TVAE
 debita, tribui, omniave prospera vt et optata euenire.
 Ego quidquid in me est studii eo deferam, vt me exi-
 stimes TIBI absenti etiam semper fauere. Vale.

Ienae a. d. XVIII. Maii, CIC 1000 XLVI.



Ber

Gerwagner! welcher du sehr oft die Aerzte schillst,
Und wie der Hund voll Zorn beym Monden Scheine
billst,
Wenn sie den Grund erforscht von deinen üblen Tagen,
Und dir zur Besserung die Mittel vorgeschlagen,
Die die Vernunft dir räth, und das Natur-Reich zeigt.
Lern! wie man einen Arzt verehrt, ihm folgt und schweigt.
Sieh unsren Schädel an, hör Ihn dich heilsam lehren;
Sprich einmahl! Kanst du wohl dich, Ihm zu folgen, weh-
ren?
Der Rath, den Er dir giebt, springt aus der Wissenschaft,
Die Ihm Sein Fleiß erwarb, des Fleisses ädle Kraft,
Und so verdient Er sich mit Recht die Purpur-Zierde,
So bahnt Er sich den Weg zu einer höhern Würde.
Wächst, Schädel! so Dein Glück, so wisse daß Dein
Freund
So oft er was erfährt, so oft vergnügter scheint.

Hiemit empfiehet sich dem HochEdl. Hr. Doctorando
Dessen ergebener Freund

M. Wittwer
Med. Dd.
Opponens.

Salue

Salue festa dies, medicam, qua, *Suavis Amice!*


Conscendens cathedram, laurea ferta capis.

Iam patriam repetens, palma *Tua tempora cinctus,*

Accipies studiis praemia digna *Tuis.*

His Praenobilissimo atque Doctissimo
Domino Doctorando summos
in arte salutari gratulatur honores

Io. Frid. Erasmus,
Argentoratenfis Oppon.



01 A 6560

ULB Halle


3

001 853 198



56.

1547



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches
Centimetres

DISSE^{III. 2}TATIO IN AVGVRALIS MEDICO - CHIRVRGICA
**DE
CANCRO MAMMARVM**

QVAM
BONO CVM DEO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
ERNESTO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQA
SVMMO TOTIVS CAESAREI EQVITATVS PRAEFECTO
LEGIONIS EQVESTRIS PARITER AC PEDESTRIS
TRIBVNO CAESAREO

PRAE^{III. 2}SIDE
SIMONE PAVLO HILSCHERO
MED. D. THEORETICES P. P. ORDINARIO SERENISS. DVCIS SAXONIS-
GOTHANI ET ALTBURGENS. CONSIL. AVLICO
PATRONO PRAECEPTORE ET PROMOTORE SVMMOPERE
VENERANDO

DIE MAII ANNI MDCCXLVI.
PRO GRADV DOCTORIS
LEGITIME OBTINENDO
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR
IO. CHRISTIANVS SCHAEDEL
VRATISLAVIA - SILESIUS.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.

